

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4201

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1270, 4 janvier

**Lieu d'émission :** Nogent-le-Roi

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime un mandement de Richard [Ier], roi d'Angleterre, par lequel il ordonne que l'abbaye d'Almenèches soit sous sa protection.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1218, p. 337-338.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus quod nos litteras Ricardi, quondam regis Anglie illustris, vidimus in hec verba :

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Acquitanie, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, baillivis, prepositis, forestariis, et omnibus ministris et fidelibus suis tocius terre sue, salutem. Sciatis nos suscepisse in manum et custodiam et protectionem nostram abbatiam de Aumaresches, et sanctimoniales ibidem Deo famulantes, et omnes res et possessiones earum, et omnia ipsarum tenementa, et quicquid ad ipsas pertinet. Quare volumus et firmiter precipimus quod custodiatis, protegatis predictas moniales et omnes res et possessiones earum, et quicquid ad eas pertinet, tanquam nostrum proprium et dominicum, in nullo eis vel rebus aut hominibus earum forefacientes vel ab eis forefieri permittentes. Et si quis eis super hoc foriffacere presumpserit, inde eis sine dilatione plenariam justiciam faciatis. Volumus eciam et concedimus quod predicte moniales justas rectitudines et rectas consuetudines necnon eciam, quas habere solent et debent, habeant libertates suas, sicut umquam melius habuerint in terris et pasturis, in bosco et plano, in pasnagiis, in pratis et pasturis et in ceteris rebus, integre, plenarie, honorifice et quiete, ita quod inde nullatenus disturbentur. Teste me ipso, vicesima sexta die junii apud Chinon.

Nos vero omnia premissa, prout hactenus servata fuerunt, teneri volumus et servari. In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Nogentum Eremberti, sabbato ante Epiphaniam Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense januario.